

111 QVOD DEUS T.O.M. BENE VERTAT.

Pri. 62. Mira. 14.

De  
**QUERELA IN-  
OFFICIOSI TE-**

**STAMENTI,**

DISSERTATIO JURIDICA  
DIVINA ANNUENTE CLEMENTIA,  
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE  
MAGNIFICI NOBILISSIMI CONSULTISSIMI  
JURCORUM ORDINIS IN ILLUSTRI ACADE-  
MIA SALANA,

PRÆSIDE

DN. JOHANNE CHRISTO-  
PHORO WEXIO, J.U.D. AC PRO-

FESS. PUBL. EXTRAORDINARIO,  
DOMINO PRÆCEPTORE AC PATRONO SUO SEMPER  
EA, QUA PAR EST, REVERENTIA DEVENE-

RANDO

PUBLICÆ VENTILATIONI EXHIBITA

à

JOHANNE Becher / BILFELDIA-GUESTPHALO,

AUTORE & RESP.

In Acroaterio Jurctorum

die Martii


Horis locoque consuetis.

reduaser

J E N Æ

Excudebat JOHANNES NISIUS.

ANNO M.DC.LVII.



କିମ୍ବା  
କିମ୍ବା କିମ୍ବା କିମ୍ବା କିମ୍ବା କିମ୍ବା କିମ୍ବା କିମ୍ବା କିମ୍ବା କିମ୍ବା କିମ୍ବା

# VIRIS

Prudenti, Spectatissimis, atque Integer-  
rimis,

DN. JOHANNI BECERN/ Reipubl. Pa-  
triæ Senatori ac Ædili, Parenti suo filia-  
li obſervantia ætatem veneran-  
do,

DN. NICOLA O BEEFERN / ibidem Duo-  
decim-Viro dignissimo, Patruo officiosè  
colendo,

DN. PETRO Hoffbaur / } Affinibus dilectissimis.  
DN. FRANCISCO Mahitorff / } juxtaque colendis.

Primitias hanc Academicas in filialis  
observantiæ, studiique debiti Symbolum re-  
verentèr & officiosè offert & inscribit.

# A U T O R.



DISSERTATIONIS JURIDICÆ  
*De*  
QUERELA IN OFFICIOSI TE-  
STAMENTI.

PRO O E M I U M.

**M**ператор noster, dum in pr. *Inst. de de f. Naturali Gent. & Civ.* docet, quænam sint juris Naturæ, inter alia adducit Liberorum procreationem & educationem, & omnino recte. Nam in humanum esset, si procreari quidem Natura vellet, diligi autem procreata non curaret, *& Justin. in l. unic. §. 5. C. de rei uxori. aet.* Ipse (*inquit*) naturalis stimulus Parentes ad liberorum educationem hortatur, & hoc in propatulo est. Nam Parentes quicquid acquirunt, liberorum gratia acquirunt: Hinc egregiè *Jctus Paulus in l. ii. ff. de Liber. & posth.* Liberi quodammodo Domini sunt rerum paternarum viventibus adhuc Patribus. Jam quorūcunq; liberi naturaliter sunt Domini, illis sine summa injustitia

A 2 tia

tia privari nō poslunt. Ergo Parentes illos aut futuros successores declarare, aut propter gravem demū causam exheredare tenētur. Quoniā verò Patres aliquando deposito Pietatis officio sine causa liberos exheredant pr. *Inst. de inoff. Testam.* novercalibus delinimentis instigationibusq; corrupti l. 4. ff. eod. & leges nostræ iniquitatem non fovent, ut ex juris præceptis patet. Hinc introductum est, ut liberi Patrem quasi insaniae accusare, inofficiosi agere bonaq; hereditaria petere possint t. t. *Inst. ff. & C. de Inoff. Testam.* De hac Materia jam pro ingenii mei modulo discursum formare animus mihi est, & cum hæc, ut & tota Testamentaria doctrina, sese satis cōmendet, ut cuivis, qui eam tantum à limine salutarit, obvium est, idcirco eam multis evehere encomiis supersedeo. Ne verò planè hinc & inde laxato quasi freno vagemur, placet illam consueta methodo tradere, & examinare secundum seriem *Causarum, Effectuum, & Contrariorum.* Tu omnium rerum Conditor annue cœptis nostris.

Nam sine tuo Numine  
Nihil est in Homine.

J. N.

# I. N. D. N. J. C

## THESIS I.

**T**estamenta ab initio ritè facta destruuntur & vitiantur ex post facto dupliciter. 1. Ipso jure, si vel rumpuntur vel irrita sunt t. t. quibus mod. Testam. infirm. 2. Interveniente hominis facto nimium per Querelam inofficiosi. t. t. J. ff & C. h. Atquè hæc est, quam aliquantò plenius pro ratione temporis & pagellarum harum angustiis DEO Favente sumus deducturi. Ut autem illa cō melius innotescat, videbimus nunc in limine Definitionem tum Nominalē tum Realem.

II. Nominalem melioris declarationis ergò absolvemus Etymologiā, Homonymiā & Synonymiā, quibus cognitis & ejus natura nullo labore cognosci poterit.

III. Etymologiam, cum facilis sit, nihil hic morabimur. Testamentum enim appellatur ab eo quod testatio mentis sit. pr. Inst. de Testam. Inofficium verò compositum est à præpositione In, & officiosus, quod est à vocab. Officium, hoc verò dicitur ab efficiendo vel officiendo sc. efficiendo, id, quod unusquisque efficere debet, ut nulli officiat Catv. in Lex. Jurid.

IV. Cum verò Officium apud Latinos varias habeat significationes, ambiguitatem ejus excutiemus 1. significat functionem aliquam, seu publicum munus. 2. Idem quod virtus, uti pater ex Inscript. Ciceron. in suis officiis, 3. Relationem personæ ad certi operis necessariam effectiōnē. 4. Aliquando id, quod quis facit non ex debito, sed ex libero studio gratificandi & benè merendi. 5. Denique debitum, quod naturaliter cuilibet

A 3 in-

Incumbit, adeo, ut si contra illud agat, graviter peccet, quæ significatio est hujus loci. Plures & alias, rariores tamen, invenire licet apud Lexicographos. Sic & Inofficiosum Testamentum dicitur vel Generaliter vel Specialiter. Illud, quod contra officium gratitudinis & honestatis factum est v. g. Si testator cognatis vel benè meritis, quibus remunerationem debet, nihil in Testamento reliquerit. Hoc, quod contra officium pietatis factum est, l. 3. ff. b. t. ac inde per excellentiam ad solos liberos & parentes, & certis casibus demum ad fratres pertinet §. 1. Inst. h. Bach. h. n. 20. & Vinn. in pr.

V. Synonymia esse potest, quod Testamentum hoc etiam appelletur improbum, inhumanum, ingratum, licet sint, qui hæc distinguant Suth. diss. 9. th. 79. Eodem modo promiscuè dicuntur, agere, queri de inofficio, arguere, accusare, dicere inofficiosum. Qui termini hinc inde in hoc articulo confunduntur, ut & nomina querela, actio, accusatio, frequentius tamen est vocabulum Querela. Vinnius h.

VI. Quantum ad realem definitionem, quamquam illa formaliter à Justin. non sit tradita: Virtualiter tamen passim habetur, & cum Peretz ad C. h. t. num. 2. ita formari potest: Quod querela hæc sit actio, qua, qui indignè exheredati aut præteriti sunt, Testamentum rescindi postulant, tanquam factum contra officium pietatis, & simul hereditatem sibi tanquam ab intestato debitam vindicant. Actio disertè vocatur in l. 12. §. final. & l. 15. §. 2. ff. b. t. addatur infra h. nostra 23. Exheredati autem & præteriti pr. Inst. h. conjunguntur, quia non tantum exheredatis sed & præteritis de inofficio agere licet, Illud enim ad Parentes omnes & propriè ad Patrem a-  
vum-

vumque paternum; Hoc vero ad matrem, avumque, maternum pertinet, scilicet quorum praeteritio vim exhereditationis habet, licet non sit ipsa exhereditatio §. ult. 3. de exhered. lib. Querelæ hujus ratio est, quod parentes plerumque indignè liberos exheredare solerent pr. Inst. b. t. Forma est in eo, quod dirigitur contra Testamētum, tanquam malè factum, nec tamē directo sed oblique scilicet sub colore furoris. Dico sub colore. Nam si revereſa furiosus fuisset testator, tum planè nullum ejus Testamentum esset eod. pr. l. 2. ff. b. propter defectum judicii & mentis §. 1. 3. quib. non est perm. fac. Testam.

VII. Causa efficiens dictæ Querelæ alia est ejus in thesi considerata, alia in hypothesi. Hæc etiam alio respectu subjectum constituit, itaque explicabitur, ubi ista tractatio subjicietur: Illa est jus, ex quo descendit, seu quo proditū est hoc remediū. Sunt autem hac in parte variæ Doctorū opiniones, & usq; adeo id expeditum non est. Certè semper non obtinuit sed LL. XII. Tabb. liberimā erat testandi facultas; nam sic erant verba legis, Ut quis quæ legassit rei suæ ita jus esto. b. 120. ff. de verb. signif. pr. Inst. de L. Falcidia poteratque pater filium impunè exheredare; quia vero hoc iniquum visum, postea hæc querela recepta est.

VIII. Non a. subscribimus (l.) hic Cujacio, qui auguratur ex inscriptione l. 4. ff. b. eam cœpisse ex Lege Glicia 1. Quia hæc argumentationes ab inscriptionibus ductæ sunt admodum fallaces. 2. quia hæc inscriptio variat, imo planè in Pandectis Florentinis omissa est.

IX. (II.) Neque Vultejo, qui mixto juri, imo neque Bachovio, qui juri Prætorio hanc querelam acceptam referunt, quia Prætor hereditatem nec dare nec adimere potest pr. Inst. de bon. posses. vers. quos autem.

X. R. C.

X. Restat ergo secundum communem Doctorum opinionem, moribus eam introductam esse, idque patet ex pr. Inst. b. verbo inductum est, l. 29. pr. ff. de lib. & posth. l. 2. pr. de vulg. & pup. subst. idque pluribus sequuntur. Magnif. Nobiliss. & Ampliss. Dn. D. Erasmus Ungepaur, f. Cius ac P. P. celeberrimus, Facultatus Jurid. Ordinarius venerandus &c. Promotor ac Hospes meus devotè colendus, Exercit. 8. quæst. II. Nobiliss. Hahn. ad Wensem. b. n. 2. D. Arumæus Exercit. 10. quæst. II. Vinn. & committitur hic.

XI. Subjectum potest considerari dupliciter: Respectu vel agentis, seu illorū, quib⁹ competit hæc querela, vel patientis seu contra quos detur. Primo de agente. Et in genere competit hæc querela iis, quibus injuria, non tamen quælibet, sed gravior, Testamento facta videri possit: Ut sunt I. Liberi respectu Testamenti paterni maternivè §. 1. b. Ratio peti potest ex Proæmio nostro: Ampliatur I. id accipiendum sine distinctione sexus, Nec enim hactenus jura distinguunt. 2. Gradus, quando nempe gradus ulteriores, sublatis præcedentibus, primum gradum subintrant. 3. Potestatis, sive sint emancipati, cum hæc non faciat naturalem filium inter liberos non esse l. 7. C. h. t. sive Exheredati, quoniam nec Exhereditatio extinguit jus sui heredis, tantum abest, ut pietatis tollat officium §. 4. Inst. de pupill. subst. l. 4. ff. de Testam. tut. 4. Nascentium seriei. Et quæri hic potest, an & Posthumi de jure Novo includantur? De jure Veteri salva res est, & nullum dubium. Dabatur enim tam suis, quam alienis, si in utero fuissent mortis tempore l. 6. in pr. ff. h. t. & §. 2. Inst. h. Videtur autem id affirmandum esse, quia eorum exhereditatio facit subsistere Testa-

Testamentum, & quicquid jure Novo expressè corre-  
ctum non est, quare id stare prohibetur l. 27. C. de Test.  
& arg. l. 32. §. 6. C. de appellat. Perez. ad C. n. 5. h. t.

XII. 5. Datur etiam arrogatis, quia transiunt in  
potestatem arrogantis §. 1. Inst. de adopt. & sic iura na-  
turalium liberorum consequuntur §. 2. Inst. de acquis. per  
arrog. §. 2. de hered. quæ ab intest. defer. t. t. præcipuè l. penult.  
§. ult. C. de adopt. In impuberibus vero speciale est, quod  
queri non possunt, quia ex Constitutione Divi Pii quar-  
tam capere possunt l. 8. §. 15. ff. h. t. 6. Ab adscenden-  
tium aliquo adoptatis §. 2. Inst. h. l. pen. C. de adopt. se-  
cūs est in adoptatis ab Extraneo. 7. Legitimatis §. 2. In-  
stit. de hered. quæ ab Intest. defer. Novell. 89. c. 2. Zæf. ad  
ff. n. 11. & seqq. h. t.

XIII. His præmissis, facile patet quibus non com-  
petat. Nam quibus nulla contra naturalem pietatem  
injuria hoc Testamento illata est, & spes succedendi ju-  
re jam adempta, illi neque hac actione quid consequi  
possunt, ut sunt Naturales, aliique Illegitimi omnes,  
quantū ad naturales & vulgo quæsitos, limitatio adden-  
da, procedit hoc quo ad Testamētū patris, ratio ponitur  
in Patrum incertitudine §. 12. Inst. de Nupt. partim in  
conjunctionis, ex qua oriundi sunt, turpitudine, unde  
nec ab intestato, nec Testamēto, Patribus pleno jure suc-  
cedunt. Matris tamen Testamentum, quoniam ea sem-  
per certa, nec iura talem ejus rationem habent, querela  
evertere possunt l. 29. §. 1. ff. h. Sublimitandum hoc,  
nisi mater sit illustris & alios liberos habeat l. 5. C. ad  
SCTum Orphit. ratio adjecta. Sunt tamen: Qui Naturali-  
bus liberis aliquo casu concedunt, quod etiam Patris  
Testamentum accusare possint, nimirum liberis legiti-

B

mis

mis deficientibus Zæf. ad ff. h. num. 10. Item Cujac. Sed nec hoc concedendum arg. Novell. 18. c. 1. in fine add. Nobiliss. Dn. D. Struve, J. Cetus ac P. P. excellentissimus &c. Patronus ac Promotor meus summè colendus. Exercit. ad ff. h. num. 16. Bachov. ad Treutl. part. 1. disput. 13. th. 2. lit. C. Dn. Arumæus Exercit. 10. quæst. 15. Non obstat Novell. 18. c. 5. Novell. 89. c. 12. Quia argumentatio à successione ad querelam negativè non etiam affirmativè procedit.

XIV. II. Parentes, respectu liberorum Testamenti §. 1. Inst. h. Ratio 1. ponitur in l. 15. pr. ff. h. Nam (sunt verba legis) & si Parentibus non debetur filiorum hereditas propter votum Parentum, & naturalem erga filios charitatem, turbato tamen ordine mortalitatis, non minus Parentibus, quam liberis piè relinquitur. 2. in l. 7. inf. ff. unde liberi insolatio luctus. Ampliatur, Videtur hoc pertinere ad omnes Parentes, tam ad masculos quam ad fœminas, tam Exhæredatos quam præteritos, si tantum quocunque modo ad successionem liberorum venire possunt, ut antea de liberis traditum fuit. 1. Propter reciprocam pietatem, quam liberi debent parentibus. 2. Ob rationis Generalitatem. 3. Ob Novell. 115. c. 4. Ubi de adoptivis id planè afferitur.

XV. III. Fratres & Sorores: hi vero sunt vel soli, vel cum adscendentibus concidunt. Priori casu notandum est eorum discriminem, eoque res expedienda: Sunt verò triplices 1. Germani, qui ex utroque Parente eodem orti sunt. 2. Consanguinei, qui ex eodem Patre diversis verò matribus. 3. Uterini, qui ex eadem matre diversis Patribus. Jam Germanis & Consanguineis hæc Querela datur: Uterini, verò excluduntur. 1. propter

l. 27.

*l. 27. C. h. t.* 2. Quia cum iis nominis & familiæ jura  
non sunt communia add. *Nobil. D. Hahn. ad ff. h. t. n. 16.*  
*propè fin. Bach. ad Trentil. h. n. 6.*

XVI. Limitatur 1. hoc non semper & simpliciter  
procedere, sed tantum in eo casu, quando turpi personæ  
post positi sunt. §. 1. *Inst. h.* Turpis vel ò Persona descri-  
bitur: in d. *l. 27. C. h. t.* Quæ vel turpitudinis vel infamiae  
vel levis notæ macula alpersa est. v. g. Mimus, Hi-  
strio, Meretrix, Leno, & alii ejusdem generis homines.  
Sed disputat Doctores hic: Num & Spurii in talium per-  
sonarum numero habendi? Nos in hac Quæstione, cum  
*Sup. Laud. Magnif. Dn. D. Ungepaup Exercit. 8. quæst. 12.*  
distinguimus: Inter Infamiam juris, & facti. Illam di-  
cimus, in quam quis proprio facto incidit *l. 5. §. 1. ff. de Ex-*  
*traord. cognit.* Hanc, quæ opinionem alicujus apud bo-  
nos honestos & cordatos viros gravat *l. 2. ff. de Obseq.*  
*par. præstand. l. 13. C. ex quibus caus. infam.* Eisi jam in-  
famia juris illis attribui nequit, ab infamia tamen facti  
non sunt immunes, quia ex Vulgivagâ Venere, & Gen-  
tibus omnibus improbata conjunctione nati sunt. *Vinn.*  
*& Bach. in Com. ad Inst. h. §. 1. Suth. dissert. 9. th. 82. Zæf. h.*  
*n. 21. & 22.*

XVII. Limitatur 2. modo nec Fratres simili tur-  
pitudine laborent. arg. *l. 47. ff. sol. matrim. l. 3. l. 8. de*  
*condict. ob turp. caus.* Quoniam enim hic utriusq; tur-  
pitudo versatur, nihilque habet, quod frater vel soror  
objiciat herediti scripto, meliorem esse causam possiden-  
tis constat. Limitatur 3. Modo nec ingratitudo, ex tri-  
bus causis expressis *Novell. 22. c. 47.* fratri ab herede op-  
poni probarique possit. Ita res sese habet si fratres &  
sorores soli sint: Jam porro, si contingat eos concurre-

re cum Parentibus, ipsi tanquam ordine posteriores una cum Parentibus ad Querelam non admittuntur, sed ab illis Testamentum rescinditur, & ad casum intestatis redigitur, tum verò una fratres, juxta Novell. 118. c. 3. ad successionem ab intestato admittuntur. Præter has jam enarratas personas, nemo ad querelam admittitur d. l. 21. C. b. t. Et Ulpianus in l. 1. ff. b. t. Cognati (*inquit*) qui sunt ultra fratrem, melius facerent, si se sumptibus inanibus non vexarent, cum obtinere spem non haberent.

XVIII. Hactenus dicta sunt accipienda, de Testamento paganico, non verò de Militari: l. 9. l. l. 24. C. b. t. l. 8. §. 3. 4. *cod.* Imò hoc nec jure Novissimo subjacet querelæ inofficiosi. Non obstat hic Generilitas Novell. 115. c. 3. Quia hæc de Militibus non loquitur, quorum singulare jus est, quod Generali correctionis dispositioni, de aliis parenti non subjacet. Et si de militum Testamentis, Novell. intelligi voluisset Imperator, haud dubiè, id expresisset. Fachin. 6. Controv. 74. Excellent. Dn. Struve h. th. 39. Zæf. p. 29. 30. Arum. disp. 10. quest. 13.

XIX. Vidimus jam hactenus quibus detur hæc querela. Quoniam verò sæpè contingit, ut prædictam querelam quidem intentemus, intentatam verò propter mortem persequi non possumus, paucis etiam attingendum: An ad Successores transmitti possit? Ubi jura accurate discernenda: Jure Veteri indistinctè id fiebat, modo à defuncto præparata & cœpta esset lis, ab illaque non destitisset auctor. l. 5. C. b. l. 6. & 7. ff. b. t. Jure Novo verò subdistinguitur, inter heredem suum & extraneum; Quo ad Extraneum id hodieque obtinet. Quo ad

9.

ad suum verò non tantum præparata transmittitur, sed  
uno aliquo casu, etiam non præparata. l. 34. C. b. t. ni-  
mirum, si herede scripto deliberante de adeunda heredi-  
tate, decesserit filius exheredatus, relieto nepote, traditū,  
est posse & cum agere, & in hoc casu, solum recessum à  
jure veteri, ut videre est ex l. penult. C. b. t. ratio speciali-  
tatis est, quod filio exheredato, nihil possit imputari,  
quod non præparaverit hanc querelam, quia contra quē  
intentaret, nondum adita hereditate nō haberet; si verò  
post aditam hereditatem decesserit exheredatus, non in-  
tentata querela, cessat & ratio illa, & legis dispositio.

XX. Diximus jam, quod Querela possit transmit-  
ti ad heredes: Alia Quæstio huc venit tractanda. An  
Edictum successorum locum habeat in querela? Et cū  
hæc controversia, teste Gomez. variar. resol. II. num. 21.  
alta & subtilis sit, propter utriusque partis acerrimos de-  
fensores, ut status controversiæ eo melius patescat, pla-  
cket hæc præmittere: Edictum successorum locum ha-  
bet in bonorum possessione transferenda, si nullum ex-  
tat testamentum, & primo loco defert hereditatem li-  
beris, postea legitimis, & his deficientibus cognatis, de-  
niique & aliis l. 1. §. 10. 11. & 12. ff. de success. Edicto §. 7. Inst.  
de legit. agnat. success. Hinc & in causa querelæ inof-  
ficiosi an locum habeat quæritur? v. gr. si filius justè sit  
exhæredatus, & post testatorem decesserit, an Nepos ex  
propria persona Testamentum accusare possit? Nos  
affirmativam exercitii gratia nunc sustineamus, propter  
l. penult. pr. ff. de Inoff. Test. l. 3. §. 5. inf. de bon. poss. con-  
tra Tabb. fac. & l. 7. ff. de his qui sui vel. alien. sunt jur. &  
rationē hujus remedii, quæ est pietas, quæ inter parentes  
& liberos intercedit supr. Proæm. Quæ sane etiam nepoti

eo casu debetur. Quoniam verò nimis prolixum, & à nostro scopo alienum foret, rationes in contrarium examinare, discursui publico hæc reservabimus. Videatur Vinnius i. Select. quæst. 20.

XXI. Hactenus de Subjecto Agente: Sequitur Partiens seu contra quos detur; Et est Regula: Querelam hanc intentari posse contra quemlibet heredem institutum testamento, sive scripto, sive nuncupativo. l. 31. inf. C. h. ampliatur (1.) nec refert, quis sit heres scriptus, ex liberis, vel extraneis, vel municipibus, modo tantum necessariò instituendis injuria illata sit l. 31. §. 1 ff. h. t. ampliatur (2.) Locum habet Querela, nulla habita ratione dignitatis, aut conditionis, hinc Ulpianus in l. 8. §. 2 ff. h. si Imperator sit heres institutus, posse in officiosum dici Testamentum, sæpiissimè rescriptum est: Rationem addit Gothofr. in Not. ex Paulo 4. Sentent. 5. §. 3. Eum enim qui leges facit, pari Majestate legibus obtemperare convenit: add. §. ult. inf. Inst. quib. mod. Testam. infirm. (3.) Sic & adversus eos, qui heredi succedunt: Ut aduersus heredem heredis, quia hic testatoris heres est l. 14. C. de hered. inst. aut qui loco heredis sunt, ut est Fiscus, qui bona defuncti quasi vacantia occupat l. 10. C. h. t. Et Fideicommissarius universalis, l. 1. C. h. t. quia activè & passivè actiones hereditariæ in eum transeunt. §. 3. Inst. de Fideicom. heredit. Zæf. h. num. 27. usq; ad 34. Amplissimus D. Struve h. Th. 20. Perez. ad C. n. 16. & 17.

XXII. Effectus est; Ut rescindatur Testamentum. & ab initio subsistens, ex post facto infirmitur resque ad causam intestati redigatur l. 6. §. 1. ff. h. t. Et jure veteri quidem, totum Testamentum subvertebatur, ut planè nihil ex eo deberetur. l. 28. ff. h. t. Imò legata etsi soluta

luta erant, poterant repeti. l. 8. §. penult. l. 21. §. 1. ff. eod.  
Jure Novissimo verò, sola heredis institutio evertitur,  
catera, legata, libertates, Fideicomissa, &c. salva ma-  
nent. *Novell. 115. c. 3. inf.* & *c. 4. inf.*

XXII. Non solum autem per hanc inofficiosi que-  
relam rescinditur Testamentum, sed simul & petitur he-  
reditas. Hinc eam supra *in thesi 6. definivimus*, per *acti-*  
*onem*. Licet v. pleriq; Interpretum id negent, existim an-  
tes, querelā remedium aliquod esse ab actione separa-  
tum, & implorationem officii judicis, ut Testamentum  
rescindatur, & ita demum hereditas vindicari pos-  
sit: Unde duo faciunt judicia, & ajunt, querelam præpa-  
rare viam petitioni hereditatis, ipsam verò petitionem,  
deinde sequi. Iis tamen non assentiendum, immò poti-  
ùs tenendum, querelam ipsam actionem, seu petitionē  
esse, perque eam, sic impugnari Testamentum, ut simul  
vindicetur hereditas, per leges multas. l. 8. §. 8. ff. b. t. l.  
21. §. 2. l. 27. §. 3. eod. l. 3. C. de petit. heredit. &c. Vi-  
deatur *Magnificus Dn. Frantzkius in Aula Gothana.*  
*Cancellarius Eminentissimus Comm. ad ff. b. num. 4. Ma-*  
*gnif. D. Ungepaur Exercit. g. th. 1. Excellentiss. Dn. Struve,*  
*b. th. 4. Bachov. ad Inst. num. 1. Suth. diss. g. th. 88:89 &*  
*90. Vinn. in Comm. ad J. b. n. 6. Idem Select. quest. 1. c.*  
*19. qui ad contraria responderet. Aliquando & in modum*  
*Exceptionis opponi potest, si filius exheredatus est in*  
*possessione, & scriptus heres petit hereditatem l. 8. §. 13.*  
*ff. b. t.*

XXIV. Ad præparationem querelæ spectat peti-  
tio honorum possessionis, litis ordinandæ gratia. l. 8. in  
pr. ff. h. 1. quæ necessaria est filio exheredato, si est emā-  
cipatus, quia cum jure civili heres non est, ad hanc bo-  
norum

norum possessionem, tanquam remedium extraordinarium debet configere. In suis verò agnitione hæc necessaria non est, quia ipsi heredes sunt, nec adit one indigent, l. 7. l. 4. ff. b. *Magnif. Dn. Frantz. b. n. 18. Suth. b. n. 19. Peretz. ad C. n. 14.*

XXV. Proponebatur olim hæc Querela in iudicio Centumvirali, quod quadruplex judicium alias vocatur *Zæf. h. n. 2. Suth. diss. 9 th. 88.* Postea verò Rectores Provinciarum, de his cognoverunt, quisque ea in qua heres scriptus domicilium habebat l. 29. §. ult. ff. b. *add. Peretz. ad C. h. n. 19.*

XXVI. Contraria, seu in quibus casibus cesset hæc querela, sunt: I. Si quis alio remedio, ad successionem pervenire possit. §. 2. *Inst. b.* ratio est, quia querela hæc est odiosa, laedit enim reverentiam, cum Patrem furiis accusat quodammodo, saltem in speciem. Ergo restringenda §. 3. eod. Obstat verò, hic videtur. *Thesis nostra 24.* Ubi dicitur bonorum Possessio agnosci ad hoc, ut possit in officiisi agi: Sed Resp. ex ead. *Th. si.* Effectus immediatus illius Bonorum possessionis non est acquisitio hereditatis, sed ut in officiisi agi possit. Ergò non sese habet ut distinctum remedium. 2. *Obstat l. 1. §. fin. ff. si à Parent. quis sit manum. l. 16. §. 1. ff. b. t.* Ubi Patri datur bonorum possessio contra Tabulas, & tamē querela in officiisi eidem competit. Sed Resp. Bonorum possessionem contra Tabulas Parentibus dari ut Emancipatoribus, Querelam verò ut Patribus, cum vero querela pinguior sit, quia facit rescindi Testamentum, non debet Patri denegari, cum per Bonorum possessionem tantum consequatur partem. Add. *Bacchov. ad Inst. §. 3. b.*

XXVII.

9.

XXVII. II. Cessat, si Filius ex justa causa sit exhereditatus, quia tum cessat introductæ hujus querelæ ratio, quæ militat pro injustè exheredatis. Notandum hic (1.) jure Veteri justæ Exheredationis causæ certis legum limitibus inclusæ non erant, sed pendebant ab arbitrio centum virorum, merita filii expendentium, arg. l. 7. ff. de bon. damnat. verb. meritis de causis. (2.) Nec opus habebat Pater, certam causam exprimere suæ exheredationis, sed instituto heredi licebat causam allegare. (3.) Imò; & ipse filius cogebatur probare, se obsequium debitum (prout ipsius naturæ religio flagitabat) parentibus præstítisse, si inofficiosi querelam contra Testamentum Parentum movere vellent, Nisi heredes scripti contrarium ostendere mallent l. 28. C. h. t. (4.) Querelam, non eo nomine exhereditatus instituebat, quod hereditate, sed quod potius quarta seu portione legitima privatus esset, adeoque Pater pro lubitū illum, licet morigerum exheredare poterat, si saltem quartam quocunque titulo ei reliquisset. Nov. 18. c. 1. arg. l. §. 8. 10. ff. h. t. & Dd. communiter ad §. ult. Inst. h.

XXVIII. Jure Novissimo verò hæc omnia sunt mutata, Et quoad (1.) certæ à Justiniano definitæ sunt causæ, ob quas exhereditatio, aut privatio legitimæ fieri potest. Novell. 115. c. 3. & seqq. Et in liberis admisit Imperator quatuordecim causas. d. Novel. In Parentibus septem, d. Novel. c. 4. In Fratribus verò tres. Novel. 22. c. 47. Sigillatim verò illas recensere brevitatis ergo non licet. add. Magnif. Dn. Frantzke ad ff. num. 76. & Sut. c. b. th. 54. & 57. Ubi inclusis versiculis recensentur. Rationes verò, cur pauciores causæ in parentibus quam liberis; paucissimæ verò in fratribus statutæ, hæc sunt:

G

Quia

Quia liberi majorem debent reverentiam parentibus, quam hi illis, Erubescit enim lex, Castigatores filios parentibus statuere. *Novel. 22. c. 27.* (2.) Quia leviora videntur, quæ à fratre, quam quæ à filio, vel à parente proveniunt delicta.

XXIX. Diximus in præcedenti Thesi, quod Justin. Exheredationum causas certo numero definiverit; Quæritur ergo, an ob nullas alias causas, quantumvis parentes aut maiores exhereditatio permittenda? Communis Doctorum schola illas admitti docet, inter alia, *Magnif. D. Ungepaup Exercit. 8. quest. 9. Suth. b. num. 60. Nobilissimus & Amplissimus D. Schröter J. U. D. ac P. P. Famigeratiss. &c. Patronus meus colendissimus in Notis ad eundem. Vinnius ad Inst. b. in pr. num. 2. Fachin. lib. 6. contrav. c. 78.* Quod videtur jure benigno seu ex aquitate admittendum, uti in revocatione donationis, §. 2. *Inst. inf. de donat. l. ult. C. de revoc. donation. ademtionis feudi. c. 1. §. 2. vers. Sed quia natura 2. Feud. 24.* Hæc de primo Membro.

XXX. Quoad (2.) & (3.) constituit Imperator, quod Testator debeat causam exhereditationis exprimer, & nominatim Testamento inserere *d. Nov. 115. c. 3. Authentican non licet C. de liber. præt. & hoc est exhereditare cum elogio, seu nominatione causæ. Præterea scripto heredi hoc elogium probare, verumque esse demonstrare incumbit, d. Nov. & cap. vers. sive igitur omnes. qui si in probatione succumbat, exhereditatus vincit.* Quantum vero ad (4.) jure Novo non amplius ut olim, sed solo institutionis titulo legitima relinquenda est *d. Novell. 115. c. 5. qua de re vero plenius infra in. th. 38.*

XXXI.

9.

\* XXXI. His jam omnibus observatis, Testamentum manet firmum, & justè exheredatus nihil obtinet. Jam è contrariò, si neque causa aliqua ex illis quatuordecim adjecta, vel si adjecta, ab herede probari non possit, tum cum effectu liberi non exheredantur, sed Testamentum per querelam rescindi posse, patet. Quod tamen acerrimè inter Doctores agitur, & quidam putant, hoc Testamentum ipso jure nullum esse, & novissimè Bachov. ad Treutl. disput. 13. thes. 1. lit. F. volum. 1. Quoniam verò in jure nostro quæstiones alicujus momenti ita comparatæ sunt, ut in utramque partem defendi possint, placet exercitii gratia contrarium defendere cum Magnif. Dn. Frantzio in Comm. ad ff. b. n. 71. & seqq. Idem in Exercit. 6. quest. 4. Suth. th. 64. & seqq. Excellentiss. D. Schröter in Not. ad eundem Fachin. 4. contrav. c. 9. Zæf. ad ff. de Lib. & Posth. num. 10. & seqq. 1. per Novell. 115. c. 3. vers. Si autem hæc observata. Unde sic argumentari quis potest. Quomodo se habet Testamentū in eo casu, ubi heres in probatione deficit, ita etiam sese habet in casu, ubi nulla caussa est adscripta. Atqui priori casu, Testamentum ab initio nullum non fuit. E. nec posteriori. Consequent. Majoris probatur ex d. loco. Ubi idem effectus. Minor patet, quia probatio demum fit instituta querela, hæc verò contra heredem instituitur, post aditam hereditatem l. 8. §. 10. ff. b. l. E. Testamentum ab initio valuit. 2. Ex d. loco in verb. evacuato. Et passim dicitur hujusmodi testamentum solvi, rescindi quo ad institutionem, quæ verba notant privationem, quæ verò præsupponit habitum, atque ita actum validum: Alias malè diceretur, cætera capitula sustineri, cum ex nullo testamento, nihil debeatur. Verba etiam

C 2

hæc

hæc non impropriè ut (quidam volunt) sed propriè sunt accipienda, quia hæc jura *Novell.* sunt correctoria, ideoque contra mentem Legislatoris non sunt improprianda. Non obstat quod Justinianus expressè jubet, causam ingratitudinis testamento inseri, Nam ipse, si inserta non sit, non vult testamentum ipso jure nullum esse, sed vult illud rescindi, & quidem non in totum, quo ad institutionem heredis, sed pro parte tantum. 2. Non obstat *l. 5. C. de legibus.* Quod contra legem fit, id ipso jure nullum est. Resp. Limit: hanc Regulam, quando Lex id quod fieri vetat, aliquo modo subsistere patitur, suppeditato remedio, ut hic factum, nimirum ut rescindatur. *Add. Vinn. in Comm. ad Institut. in pr. b. t. n. 3. Idem in select. quest. 2. cap. 21. Ubi plura.*

XXXII. III. Cessat querela, si exheredatus vel præteritus agnoverit voluntatē defuncti, vel expressè scilicet, si repudiaverit hereditatem, vel querelam. *l. 15. ff. 11. ff. b. t. l. 34. C. eod.* Vel tacitè, si quis Procuratorem sese præbeat, ut in petendo legato, vel simile quid fecerit, continens in se judicii approbationem. *l. ult. pr. ff. b. t.* Limitatur 1. Nisi tutor nomine pupilli id petat, §. 4. *f. b. t.* Ratio est, quia id non facit sua sponte, sed necessitate officii, quæ excusata esse debet, ac proinde non prohibetur suo nomine, de inofficio agere *l. 30. §. 1. ff. b. t.* Et è contrariō, si pupilli nomine de inofficio agit, & succumbit, nec eo Legatum in illo testamento sibi relictum, perdit §. 5. *f. b. t.* Cum regulariter aliás, qui causa cadit in querela, hoc Legatum quoque amittat *l. 8. §. 14. ff. b. t.* Limitatur 2. Si quis non sibi acceperit Legatum, sed id totum alii administraverit. *l. 10. §. 1. ff. b. t.* Ratio est, quia Legatum accepisse videri non potest. *Add. Vinn. b. ad §. 3.*

XXXIII.

9.

XXXIII. IV. Si elabi finat quinquennium ab adi-  
ta hereditate. l. 34. in fine, & l. 36. §. 2. C. eod. Ratio est,  
quia tacita dissimulatione videtur renuntiasse, & hæc  
est species quædam condonationis & remissionis, ini-  
quum autem est revocari, quod semel remissum est:  
Item, si mortuus sit is, cui querela competebat, Ratio est  
in th. nostra 26. quia odiosa, quod tamen accipendum  
cum distinctione, supra in th. 19. tradita. Add. Nobilit. D.  
Struve h. th. 29.

XXXIV. V. Si Legitimam quis habeat. Cognitio  
verò hujus Legitimæ, cum summè necessaria sit, illam  
paulò uberioris deducemus. Est verò illa in Genere con-  
siderata nihil aliud, quam portio quædam, quæ testa-  
mento certis personis necessario relinquenda est, ut  
testamentum firmum subsistat. Magnif. Dn. Frantz k. b.  
num. 20. Portio verò illa, jure Veteri est quarta pars he-  
reditatis, seu quadrans bonorum, §. 3. Inst. h. t. l. 8. §. 8.  
& 15. ff. h. t.

XXXV. Jure Novo verò, Justinianus quartam il-  
lam mutavit. *authent. Novissima* C. h. t. *Novell. 18. c. 1.* &  
constituit, ut si quatuor, aut pauciores sint liberi, habe-  
ant tertiam, sin autem plures, dimidiam; quod verò ita  
accipendum, ut omnibus conjunctim demum compe-  
rat, quam deinde inter se pro rata, id est, pro virilibus  
portionibus distribuant, §. ult. inf. Inst. h. t. Ita ut, si qui  
suas partes non petant, illæ non accrescant cæteris co-  
heredibus ab intestato venientibus, sed penes institu-  
tum remaneant. l. 8. §. 8. ff. h. t. & §. ult. Inst. inf.

XXXVI. An verò hoc Augmentum Legitimæ  
etiam sit extendendum ad parentes, & deinde ad fra-  
tres, controversum est. Nos communi Doctorum af-  
fir-

firmantium opinioni calculum adjicimus. Et 1. quoad parentes, (loquimur autem tantum de triente, nam quoad semissem frustra esset, cum tot parentes quis habere non possit) propter d. Nov. 18. c. 1. in f. Generalitatem 2. facit & induci augmenti ratio quæ fuit, nimis illa exigua quantitas, Nam non minus piè parentibus, quam liberis relinqui debet l. 15. ff. h. l. 3. Quia correlativorum eadem est ratio arg. l. 3. C. de Indict. viduit. toll. Idem sentiendum videtur de Fratribus propter d. Nov. Generalitatem 2. dicta ratio etiam obtinet inter fratres. 3. Insuper accedit odium turpis personæ institutæ. Non obstat hujus Novellæ Inscriptio. Resp. Rubrum ex Nigro explicandum. 2. Non obstat quod fratres per accidentem tantum habeant querelam. Resp. Sufficieum casum adesse, quo per juris dationem habeant. Magnif. D. Frantz k. ad ff. h. num. 32. 33. Nobiliss. D. Struve h. th. 13. Excellentiss. D. Schröter ad Suth. dissert. 9. th. 23. Zæf. h. num. 83. & 84. Fachin. 4. Contrav. 28. Peretz in C. h. num. 33. Bachov. ad Inst. §. 4. inf. qui tamen quo ad parentes tantum consentit.

XXXVII. Diximus jam, quod Legitima aucta sit à Justiniano: Illa verò, quæ sunt juris Naturæ, ut & Legitima esse fertur passim, neque augeri neque minui posse constat. §. 11. Inst. de i. Nat. Gent. & Civ. cum eodem modo semper sese habeant. Arist. s. Eth. c. 10. Quæritur ergo, an juri Naturali sit ascribenda? Et omnino cum Magnif. D. Frantz k. h. num. 22. 23. & Suth. h. th. 34. 35. Distinguendum est: Inter Legitimam formaliter & materialiter consideratam. Priori casu quando propriè, & in sua formalitate spectatur, nempe certa illa & definita quantitas, quin eam jure Civili ascribanus, non est ut am.

9

ambigam⁹, ita scilicet, ut alia lege, seu **consuetudine** mi-  
nui, vel planè tolli possit, ut non amplius in Legitima ta-  
lis vel talis portio sit: Si verò posteriori casu intelligas  
impropriè ipsum jus succedendi, quod liberis jure Na-  
turæ competit, negamus, & hic habet locum prædicta  
Regula: **Jura Naturalia** tolli non posse à Jure Civili. add.  
*Vinn. Comm. ad 7. §. 3. h. num. 3.*

XXXVIII. Sed nunc porrò videamus. I. Quomo-  
do relinquenda. II. quid in eam imputandum veniat.  
III. Denique ex quo tempore spectanda? Quibus addi-  
tis, colophonem negotio imponam. Quantum ad I.  
dixi jam supra in *th. 27. inf.* Quod olim liberis potuerit  
relinqui hæc legitima quoquaque titulo, quo facto, pa-  
ter potuerit eos, licet morigeros, exheredare. Novissi-  
mo verò jure hoc mutatum est. *per Novell. 115.* nec am-  
plius sufficit ad excludendam querelam legitimam re-  
linqui quoquaque titulo, sed si Testator vult testamen-  
tum firmum manere, necessum est, ut honoret titulo in-  
stitutionis heredes, ita ut non iam queratur, an legitimi-  
mam habeant ut olim, sed num justè exclusi sint. Et  
hinc patet, Legitimam hanc relinquendam esse titulo.  
Institutionis, & licet sint, qui hoc negent, à communi-  
tamen Doctorum opinione non resiliendum propter  
*d. Novel. 115. c. 3. & 4. in pr. verb. Sancimus. clarius in c.*  
*s. in pr. Add. Magnif. D. Frantzke. h. num. 48. & seqq.*  
*Magnif. D. Ungepaur Exercit. 8. quæst. 13. Amplissimus D.*  
*Struve h. tb. 30. Bachov. ad Inst. §. ult. h. num. 2. Vinnius*  
*ibid. num. 4. Suth. dissert. 9. th. 69.* Ampliatur, non sò-  
lum liberis tantum legitima relinquenda titulo institu-  
tionis, sed etiam parentibus. *alleg. text.*

XXXIX. **Quod verò legitima titulo institutionis**  
relin-

relinqui debeat, fatendum est omnino, id rationem juris poscere, licet alii objiciant, ita hoc in nudo nomine, & titulo potius, quam re ipsa, & effectu consistere. Sufficit enim in re certa & singulari, licet minima aliqua, legitimam reliquam esse (quo tamen casu jure antiquissimo, nihilominus querela habebat locum. arg. l. 30. & seq. ff. h. t. l. 25. ff. eod. Suth. dissert. 9. th. 51.) Hoc tamen, quicquid deest Legitimæ, potest obtineri actione ad supplementum §. 3. Inst. h. d. Novel. 115. c. 5. l. 30. & 36. C. h. t. Hinc tamen concludendum non est, hunc institutum pro Legatario haberi, quia titulus hic honorabilior add. Magnif. D. Frantz. h. nu. 48. Vinn. ad §. ult. J. h. Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 12. th. 1. Zœf. h. num. 80. 81. & seqq. qui Fabr. dissentientem refutat.

XL. Qualis verò illa actio ad supplementum sit? meritò queritur. Alii eam putant esse actionem ex testamento, alii petitionem hereditatis, alii judicium familiæ exerciscundæ, Plurimi denique conditionem ex lege esse contendunt, cum referente Vinnio h. ad §. 3. n. 4. hæc conditione, vulgo actio ad supplementum vocatur, quod & nos affirmamus. videatur Bachov. ad §. 3. J. h. t. Suth. h. num. 74. Et hæc tamen ab ipsa querela differt: Differentiam communiter Doctores faciunt triplicem. 1. Hæc actio non extinguitur lapsu quinquennii, uti in querela supra *in thesi* 33. diximus, sed durat per annos triginta, quia est personalis l. 31. C. de praescript. 30. ann. Ratio est, quia hæc illa favorabilior. Hac ratione jam evanescit illa objectio, quæ plerumque movetur, Surrogatum sapere naturam surrogati, actionem ad supplementum introductam esse, in locum querelæ. Ergo, ut illam, ita & hanc extingui quinquennio.

2. Que-

2. Querela in heredem non transmittitur nisi præpara-  
ta, excepto casu. l. 34. C. h. t. uti sup. in Th. 19. planum  
fecimus. Hæc verò etiam non præparata transit. 3. Qui  
agnoscit judicium defuncti, querelæ renuntiat sup. th. no-  
stra 32. Huic actioni non item, ut expressè traditur in l.  
35. §. 2. C. h. t. Limitatur tamen in d. l. quo ad hanc po-  
steriorem, nisi specialiter scripserit, vel pactus fuerit, se  
relicta parte contentum esse.

XLI. Hinc jam plana est & illa Controversia: An  
Legitima hæc sit quota bonorum vel hereditatis? Et  
quoniam hactenus probavimus Legitimam titulo In-  
stitutionis relinquendam esse, sequitur etiam, quod sit  
hereditatis quota: Ratio est, quia debetur hereditario  
jure. Add. Suth. diss. 9. th. 72. Zæf. ad ff. h. num. 112. &  
seqq. Bacchov. ad Treutl. ad h. tit. th. 12. lit. C. Cui non  
obstat, quod deducendum sit æs alienum. l. 8. §. 9. ff. h. t.  
Id enim fit tantum, ut constare possit, quantum in legi-  
tima sit.

XLII. Præterea relinquenda Legitima, absque  
ullo onere, seu gravamine, sc. fideicommissi aut Le-  
gati, aut conditionis. l. 30. l. 32. l. 46. C. h. t. auth. novissi-  
ma eod. & si aliquod appositum fuerit, tollitur, atque ita  
res procedit, quasi nihil eorum testamento additum es-  
set. l. 32. C. h. t. deinde & absque ulla mora, aut dilatione  
præstanta est, d. l. 32. C. h. Ratio est, quia hæc legitima fa-  
vorabilis, & certa legis dispositione provisa. Amplia-  
tur, hæc non tantum procedunt in liberis, sed & Paren-  
tibus ac fratribus, quia dictæ leges disponunt de perso-  
nis, quæ Testamentum inofficiosi arguere possunt. At-  
qui de his omnibus id supra affirmatum est. Videtur jam  
obstare, quod in Thesi *præced.* diximus, Legitimam hanc

D    here-

hereditatis esse quotam, hereditas verò continet onera. Ergò legitima non potest relinquere absque oneribus. Sed Resp. Alia sunt onera hereditaria hereditati ita immersa, ut intrinsecus inhereant; Alia sunt gravamina à Testatore extrinsecus adjecta. Posteriora hæc hoc loco intelliguntur, & à legitima arcentur, non priora, per l. 8. § 9. de Inoff. Testam.

XLIII. Debetur verò Legitima ex Patrimonio seu substantia paterna, ex eadem & assignanda. *Novell. 118. c. 1. l. pen. pr. C. b. t.* Unde patet, Patrem pro libitu filio legitimā non posse assignare, in quibuscumque bonis voluerit, sic v. g. Pater non potest filio in pecunia numerata præcisè, si bona alia, puta immobilia habeat, legitimam relinquere *arg. l. pen. C. b. t.* Cujus reitamen & alia ratio est, quia hoc fieret in præjudicium filii, & esset gravamen aliquod. Sic è contrario, filius legitimā non potest eligerre pro suo arbitratu in rebus certis. Itaque ne ulli parti injuria fiat, receptum est, illam legitimam arbitrio judicis filio assignandam esse. *Perez. ad C. 3. num. 37.*

XLIV. Quod verò dixi ex bonis Paternis legitimam deberi, hoc in terminis habili bus intelligendum, sc. si bona Paterna ita comparata sint, ut legitima iis relinquere possit. Talia verò non sunt: Bona primogenituræ subjecta, Bona comitatus, aliamve annexam dignitatem habentia: item bona Feudalia, nisi feuda sint hereditaria. Quoad fœminas tamen indistinctè, & si feuda hereditaria sint, legitimam inde regulariter non deberi, quidam contendunt, quod non immerito durum videtur: Quod si verò feudum sit ejusmodi, ut in eo simul cum masculis, fœminæ succedant, tunc Legitimam iis inde deberi Feudistæ consentiunt. *Vid. Vultei. de Feud. lib. 1. c. 9. n. 58.* Porrò neque bona alienari prohibita

hibita, seu quæ Pater post mortem alii restituere tenetur, huc pertinent. *Fach. lib. 4. Contrav. c. 23. Perez ad C. b. num. 36.*

XLV. Videamus jam illas res, quæ in Legitimam imputantur. Et regulariter illa solent imputari in legitimam, quæ à patre & bonis ejusdem immediate proficiuntur, non autem quæ aliunde obveniunt. Ita sc. imputatur militia filio à Patre comparata, sumptibus paternis *l. 30. §. 2. C. b. t.* intelligitur autem hoc nomine officium publicum, quod vendi, & ex quo mortuo militante certa pecunia ad heredes pervenire possit. *d. l. 30. §. 2. C. b. t.* Exceptio est in d. l. In viris spectabilibus silentiariis sacri Palatii : Similiter & Dos & Donatio ante Nuptias, (quæ ex *Constit. Just. l. ult. C. de donat. ant. Nupt.* jam propter Nuptias vocatur) si ex substantia ejus profecta sit, de cuius hereditate agitur. *l. 17. C. de Collat. l. 29. C. b. t.* Legata, Fideicomissa, Donationes mortis causa, *§. ult. Inst. h. t. l. 8. & l. 35. §. ult. C. b. t. l. 8. §. 6 ff. eod.* Item impensa facta in Emptionem feudi aut Emphyteusos, quod ita comparatum est, ut filius id vicissim vendere, vel in heredem transmittere possit: *fac. l. 30. §. ult. C. b. l. & reg. in pr. hujus th. tradita.*

XLVI. Contra verò non sunt imputandæ impensæ, quas Pater dat vel promittit adipiscendi honoris, vel dignitatis causa, ut expressè decisum est in *l. 1. §. 16 ff. de Collat. Ratio est*, quia hoc præcipuum filius habet, propter onera dignitatis, insuper & hoc neque vendi, neque ad heredes transmitti potest, uti de militia in *th. præced. dictum est*: si verò adhuc debeantur impensæ, juxta *d. l.* non solum is oneratur, qui dignitatem meruit, sed hoc debitum est commune onus omnium here-


D 2 dum:

dum; Idem jam probabiliter sentiendum in specie, de sumptibus ac impensis ad consequendum gradum seu Titulum Doctoris factis, propter dictas rationes, quia & hi sumptus virtutis causa fiunt; Imò & pecunia à filiis in studia impensa patris res quodammodo agi videtur. Hinc ipsis mutuò data exigi potest à patre, tanquam in rem ipsius versa, l. 5. ff. ad SCtum Moced. Ferez. de Collat. n. 12. Idem porrò judicium esse debet etiam de Imp. n. sis studiorum, quia hoc æquitas suadet, & eas pater moveente pietate videtur alimentorum caussa subministrass. l. 50. ff. fam. ercisc. t. t. ff. de agnosc. & al. lib. Et adscribuntur hujusmodi sumptus à nonnullis planè quasi castrensi peculio, Perez. d. l. Limnaeus de J. publ. lib. 8. c 7. n. 9. quod non confertur arg. l. 11. ff. de cast. pec. l. ult. pr. C. b. l. Limit. tamen in d. l. 50. ff. fam. ercisc. Nisi Patris contraria mens appareat. Apparet verò illa ex communi Dd. sententia variè v. g. si sit protestatus, sive sumptus in liberos rationum reulerit. Quod tamen puto sublimandum, quod pertineat tantum ad eos, quos non ex pietate pater debebat per l. 5. C. ad SCt. Moced. Nec deniq; Donatio simplex in hanc imputatur quia hæc provenit ex mera liberalitate, nullo jure cogente, fac. & l. 20. §. 1. ff. de Collat. & l. 35. §. 2. C. b. t. l. 25. pr. ff. b. t. Ubi dicitur quod regulariter hæc non debeat imputari, nisi Testator hoc expressè dixerit. Consul. Dd. ad T. de Collat. Ubi plura inveniri possunt. Et quoniam non propositum nobis est, ex professo agere de hac materia, sufficiat, hæc obiter ita tetegisse.

XLVII. III. Denique succedit, ex quo tempore legitima spectanda. Debetur verò illa post mortem patris, quia est hereditatis quota, quæ viventis esse nequit, sed  
demum

demum supputatur post mortem testatoris l. 31. C. h. t. l.  
6. C. eod. Non verò pertinet huc mors Civilis sed Natura-  
ralis. Potest quidem & Pater filio volenti legitimam  
assignare in vita, si velit arg. l. 56. §. fin. ff. ad L. Falcid.  
sed ipsum obstringere non potest, ut certa aliqua re  
contentus querelam non moveat, l. 25. §. 1. C. h. t. sup.  
th. noſt. 43. Si enim parens postea diſtior factus moriūus  
fuerit, filius quantitatē ratione bonorum mortis  
tempore recte petere potest, l. 35. §. 1. C. h. t. Accedit ra-  
tio. Nam legitima moderanda est ex bonorum quanti-  
tate, quæ mortuo Patre reperiuntur l. 8. C. h. t. Cum igi-  
tur mortis tempore facultates autæ reperiantur, meri-  
to & filio portio legitimæ ex iis constituenda. Add. Fa-  
chin. 4. controv. c. 27. Zæſ. ad ff. num. 95. 96. 97. & ſeqq..  
qui ad contraria respondent. Plura, si per temporis an-  
gustum, qua nunc constringor, licuiffet, addidif-  
sem. Eâ verò exclusus pedem hic figo, Benevolum Le-  
torem etiam atque etiam rogans, ut si quid minus ac-  
curatè, minusvè perfectè expositum offendere, id par-  
tim ingenii tenuitate, partim etiam nimia festinat one  
excuset. Interim Deo debentur Gratia,

Iaus & honor.



D 3

Quid

**Q**uid pietas jubeat pariter, gratumque patremq;  
Et fratres, hoc dum themate rite doces,  
Ipse facis pietatis opus: quod gratulor. Inde  
porro tibi veniant praemia digna, precor.  
Gratulabundus apposuit

PRÆSES.

**B**eckere, Aonidum decus fororum,  
**B**qui solers Themidos sacrata templa  
Nugis posthabitibus malis, frequentas,  
Quicquid juris habet peritus usquam  
Quicquid cætus habet boni Sophorum  
Nocturnâ teris & manu diurnâ,  
Doctis & studium tuum probasti  
Punctum omne & meritô tuo tulisti  
Monstratus digito, atque dictus: Sicest!  
Macte isthâc nitidâ magis magisque  
Virtute: egregium beat laborem  
Rector sidereæ potens choreæ.

Pereximio ac doctissimo Dn. Johanni Beckero,  
Concivi ac Commensali suo dilectissimo hæc  
paucula abituriens deproperabat.

HEINRICUS CORINGK  
J. U. Dndus.

**S**ic tentare juvat; sic scandere pulpita Doctûm  
Mortales inter passim superosque probatum

Dat

19.

Dai studium subitò! Sic si perrexeris ultrà,  
Præmia, fide, brevi Themidos portabis, ut opto!  
Fausti omnis ergò hæcce eruditæ Disputationis  
Autori, Dn. Sympatriotæ & amico suo per-  
quam dilecto deproperabat  
*Meinhardus Stomæus, Philos. & Opt.*  
*Art. Magister.*

---

**I**ngenium geniumquè tuum studiumq; The-  
mistos

Monstrat cordatis charta legenda viris.  
Sit felix ausus: studium Deus atque labores  
Hæcbeet usque manu, quâ beat arva manu.

*Hijce Pereximio Dr. Respondenti amico & Com-  
mensali suo per dilecto de hoc egregio specimine  
gratulatur*

*Matthias Vitus, Hildesiâ, Saxo  
LL. Studiosus.*

---

Sonnet.

**E**n ander brauch das Schwerdt und breche Spies und  
Stangen  
**D**em halb-verwundten Feind: Er lieb'den klaren Schall  
Der Trommelen-Trompett' und der Earthaunen Knall  
Und halte seinen Feind für dessen Freund gefangen:  
Hier gilt ein besre Lust hier hat man stets Verlangen  
Zur Kunst und Wissen schafft; Welch' geben überall  
Den ganzen Erden-Kreis ein angenehmern Hall  
Und werden hier und dor mit höchster Freud' empfangen.  
Diß' hat mein wehrter Freund Herr Becker / wolbe-  
dacht  
In dem Er mit dem Leib' der Rechten zugebracht  
Zwar

Zwar eine kurze Zeit/doch wird der Fleiß ihm gäben  
Ist einen solchen Lob der nimmer nicht vergeht  
So lange noch ein Leicht am blauen Himmel steht  
**O! teuer Landes-Mann** das heißtt nach Künsten straßen!

Dieses wenige schrieb zu ehren seinem hochgeehrten  
Herrn Landsmann

Heinrich Gleide.

---

**A** *Vdaces fortuna juvat: sequere acrius usque  
Impetum; & Astrææ præmia iusta feres.*

Lmq; Dn. Johanni Beckern Commensali  
suo conjunctissimo applaudebat

Melchior Henricus Fister, Q. S.

---

**G**lück zu mein ander Ich/Du tapfrer Musen-Sohn  
Parnassus schönste Zier: Ich lobe dein Beginnen  
Dein trefflicher Verstand/dein Götter gleiches Sinn  
Hat fast hiedurch verdient die guldne Themis Kron.

Also wünschte seinem werthen Freund und  
Stubengesellen

Johann. Witten/  
LL. Stud.

---

**I**N dubiam sanè descendis amice palæstram  
Victor pugnando fortis abito, precor.

*Amicæ gratulationis ergò hac opponere  
voluit*

Ernestus Christianus  
à Wangenheim.

F I N I S.






**ULB Halle**  
005 125 669

3



1077



Farbarkarte #13



QVOD DEUS T.O.M. BENE VERTAT.

De

# QUERELAIN. OFFICIOSI TE-

STAMENTI,

DISSERTATIO JURIDICA  
DIVINA ANNUENTE CLEMENTIA,

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

MAGNIFICI & NOBILISSIMI CONSULTISSIMI  
JCTORUM ORDINIS IN ILLUSTRI ACADE-  
MIA SALANA,

PRÆSIDE

DN. JOHANNE CHRISTO-  
PHORO WEXIO, J.U.D. AC PRO-

FESS. PUBL. EXTRAORDINARIO,  
DOMINO PRÆCEPTORE AC PATRONO SUO SEMPER  
EA, QUA PAR EST, REVERENTIA DEVENE-

RANDO

PUBLICÆ VENTILATIONI EXHIBITA

à  
JOHANNE Becher/ BILFELDIA-GUESTPHALO,

AUTORE & RESP.

In Acroaterio fCtorum


die Martii

Horis locoq[ue] consuetis.

JENÆ

Excudebat JOHANNES NISIUS.

ANNO M.DC.LVII.



Pr. 62. num. 14.

25

1657239